Acqvisita & Coronata THEMIS
in VIRO
Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo
DOMINO,
DN. DANIELE Bärholtzen/
SECRETARIO hactenus
de Republ. nostrâ Elbingensium Optimè Meritô,
Nunc verò die 3. April. A. 1685.
Unanimi Patrum Conscriptorum Suffragio,
in CONSULEM
Solennissimè Electo,
Affine & Compatre meo Honorando,
Patrono Devenerando,
Honorificè Conspicua,
Debitâ cum Gratulatione colitur & deprædicatur
à
Præ-Nobiliss. Amplitudinis Vræ.
Humillimo Cultore,
M. JACOBO Börgern/
Gymnas. Elbing. Rectore.

ELBINGÆ, *Literis* CORELLIANIS.

Epigr. I.

Captandæ Benevolentiæ.

AMbitioſus amor conqvirit carmine laudem,
    Non meus hic animus, typhus inanis abeſt.
Ipſe Poëtarum Princeps & Apolline dignus
    Jam pridem fueras, carmina docta canens.
Nil magis intendo, qvàm lætum mittere plauſum,
    CONSULIS ob Spartam, qvæ TIBI juncta fuit.
Hæc ego dùm facio, qvid? nonne Poëma Poëtam
    Sic facit; at Phœbum Te mea Muſa colit.

Epigr. II.

Num detur Vacuum?

SUrgat Democritus, Socius Leucippus & alter,
    Audacter Vacuum dicat uterq; dari:
Errant, dùm Spatium cum Spartis omne repletum
    In terris videant, officiisq; ſimul.
Major es hinc iſtis, dùm ſupples Scamna PATRONI,
    CONSULIS indeptus JURA, DECUSq;, LOCUM.

Epigr.

Epigr. III.

De Experientiâ, rerum Magistrâ;

QVid non docta docent, probat Experientia, Mater!
Hæc ſtruit Aſtrææ pulpita Sacra fori.
Hæc dat Cultorem, Juris Legumq; Peritum;
Hâc benè digeſtâ naſcitur Ipſa Themis.
Matribus his, Cameræ prius actu Filius ortus:
Hinc Pater es Patriæ factus honore novo!
Vatis ad Hoffmanni nutum: TE GLORIA PHOEBI
DUXIT ad ARCTOUM, qvò micat URSA, Polum.

Epigr. IV.

Complectens Votum, ex prioribus ortum.

OPtamus ſanam vegeto cum corpore mentem!
Sis Phœnix, reparans langvida membra Tua!
Cumq; colant Phœbum TE nunc, qvin mente PATRONUM
Noſtrates Muſæ, TU redamare ſcies.
TU Peregrinorum curaſti debita ſolvi,
Ne Vacuum nobis, oro, ſuperſit, agas!
Filius Aſtrææ fueris ſic ſtemmate divo,
Es DEus in terris: Sis Decus inde Poli!

Viro

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo

DN. DANIELI Bärholtzen/

Cùm Ao. 1685. die Electorali ad CONSULARIS Dignitatis Subsellia eveheretur,

Patrono obseqviosè venerando,

Amoris & gaudii adfectum testaturus, brevi hoc schediasmate gratulatur

Daniel Holstius,

Gymn. Elb. Collega.

ANacreon votis frustrà, BÆRHOLDE, fuisti:
Oblatos fasces reddere Lingva neqvit.
Prævalet hic Summi Polycratis justa Voluntas,
Quæ Patriæ Curis invigilare jubet.
Langventes, qvæso, ne respice corporis artus!
Fulciet hos precibus civica Turba piis.
Pro Patriâ qvoties insomnes ducere noctes
Curia, curarum mole gravata, jubet:
Sollicitum toties vigili Te lumine Numen
Aspicere, & reqvie membra levare, puta.
Ergo agè, sis Oculus summi pro Numinis aris
Proq; salute SCHOLÆ pervigil, atq; focis.
Sidere Virtutum tali qvi fulget Ocellus,
Famâ post Vitæ fata superstes erit.